PARHELION MARIANUM,

MEXICI CONSPICUUM SUBURBIJS.

DISERTATIO INAUGURALIS,

quam ad clepſydram dicebat arenariam, in Archigimnaſio Regiæ, ac Pontificiæ Mexicanæ Minervæ, coram Perilluſtri Domino Vice-Cancellario, meritiſſimo Domino Rectore, Sapientiſſimorum Doctorum Cœtu, ſub auſpicio humaniſſimo Mœcenatis ampliſſimi

Rm. P. M. F. ANTONIJ DE LA CUEVA,

Maximi Cœnobij Auguſtiniani actualis Præſulis, magna conſociante Aureliana Familia, Ordinum Religioſorum, & Equeſtrium conceſſu, Baccalaureis, & Scholaribus; Præſide Sapientiſſimo Philoſophiæ Anteſignano Magiſtro, Theologo Doctore

D. D. MICHAELE DEL CASTILLO,

METROPOLITANÆ ECCLESIÆ PORTIONARIO:

MEDICINÆ

DR. D. FRANCISCUS GONZALEZ, ET AVENDAÑO.

Anatomicæ, & Chyrurgicæ Exedræ Moderator Proprietatem adeptus, Lauream Sophicam Magiſtralem expetiturus; die x. Menſis Auguſti, Anno Dñi MDCCLVII. quam dum in lucem Typographicam edit prælaudatus relegentis Patronus,

SACRÆ GUADALUPANÆ DEI-PARENTI

ITERUM DEVOVET D. O. C.

MEXICI: apud Hæredes Dominæ Mariæ de Rivera, in viâ publicâ de Empedradillo. Anno dicto MDCCLVII.

CENSURA D. D. D. CAJETANI Antonij de Torres, olim Regalis, & Antiquioris S. Ildefonsi Collegij viridi Regiâ Oppositionis trabeâ insigniti, in Regia, ac Pontificia Mexicana Academia Vespertinæ Theologiæ Cathedræ Moderatoris, Sanctæ Metropolitanæ Ecclesiæ Præbendati, &c.

Exc^ME^. Princeps.

CUM nil sit magis ê communi bono, reque publicâ litteraria, quam præclara ingeniorum monumenta posterorum memoriæ commendari; tum præsertim illa, quæ cum GUADALUPANÆ Virginis laude, novâque veluti gloriâ conjuncta sunt, interest omninò nostra, quotquot lectissimam istam Mundi plagam incolimus, ne ullâ temporum injuriâ, aut iniquâ oblivione deleantur. Postulat id â nobis pietas in Deiparam conciliatricem bonorum omnium, pro nobis, nostris fortunis, totiusque, qua late patet, amplissimi Regni incolumitate ê Guadalupano colle pervigilibus curis excubantem. Quid enim aliud sospitatrici Virgini invicem nos rependere possimus, nisi ad illius aras vota concipere, preces fun-

*

fundere, thus adolere, nomen celebrare, laudes conficere, ſeræque tranſmittere poſteritati, quas aliqui viri docti ſummo ſtudio, multàque diligentià confecerunt?

Quare meritò optandum eſt, ut detur publicæ luci amæniſſima iſthæc Oratio ad Ariſtotelis verba lib. 3. Meteorolog. cap. 5. quam ſingulari, communique plauſu exceptam habuit in Mexicana noſtra Academia Doctor D. FRANCISCUS GONZALEZ, ET AVENDAÑO: cujus ego ſi virtutem, probitatem, mores leniſſimos: ſi ingenium, acumen, & mentis aciem: ſi facundiam, ubertatem, copiam dicendi: ſi doctrinam, eruditionem, optimarum artium præſtantiam: ſi Medicæ facultatis ſcientiam omnigenam, qua Mexicanus Hyppocrates audire debet apud eos omnes, qui aut illum de facie norint, aut aliquam ſaltem â longè pervagata nominis fama notitiam delibarint: ſi hæc, inquam, aliaque oppidò maxima præſtantiſſimi Viri ornamenta oratione mea complecti vellem, inutili, herclè, operâ tempus conſumerem in confirmanda re non ſolùm minimè obſcura, ſed etiam meridianâ luce clariore. Sanè Doctiſſimus Author, qui toties Medicam eruditionem cum Philoſophiæ, atque eloquentiæ laude conjunxerat, omnem illam doctrinæ gazam, ſuppellectilemque inſtructiſſimam religioni, pietatique in Guadalupanam Dei-param ſanctiori modo conſilio mancipavit, nec inani famulatu, aut deſpiciendo coegit obſequio ſubſervire. Nec profectò erit quod illum, aut impenſi laboris, aut locatæ operæ pæniteat. Nil enim, aut nobis gratius, aut Doctori noſtro accidere potuit jucundius, quam viam hanc veluti novam ſtraviſſe Marianis laudibus, Guadalupanumque parhelium dexterrimè oſtendiſſe, ad ſpeciem Apocaliptici Solis affabrè delineatum, vi-

vi

vidiſque coloribus expreſſum. Ovum ſanè ovo ſimilius non dixiſſes, niſi Virgo Apocaliptica ſtellas duodecim, eaſdemque in capite; (1) Guadalupana verò ſex ſupra quadraginta per cæruleum peplum miro varietatis ordine diſperſas circumferret.

Cæterà autem inficiari non poteſt Guadalupanam Imaginem Apocalipſeos Solem ad vivum retuliſſe, eſſeque propterea micantiſſimum illius parhelium: ita tamen, me quidem judice, ut antecellat ſexcentis partibus cœleſte illud phęnomenon, quod materialis Solis veram ſpeciem ſplendidà, ſed tamen fallaci imagine mentitur. Notum eſt enim, atque compertum materialis Solis duo ſimul parhelia, atque plura itidem duobus multoties viſa fuiſſe; (2) Apocaliptici autem unum dumtaxat, & divinâ ſanè arte venuſtiſſimum; nam profectò miſericors Deus *non fecit talitèr omni nationi*, (3) dum conceſſit nobis Guadalupanum miraculum, *magnum*, imò *ſignum* maximum ſuæ adverſum nos immenſæ largitatis. Deinde, parhelion veri ſolis, ſiqua fides conjecturis, hyemem preſagit; (4) Guadalupanum autem portendit nobis lætiſſimos dies, Ver amæniſſimum, Theſſala Tempe, hortos Alcinoi, & quidquid felix, fauſtumque eſſe poteſt in vita labili, numquam non multis ęrumnis, atque calamitatibus obnoxia. Tandem parhelium vulgare poſtquam ſe in conſpectum dedit, vero Sole perſeverante, citò fugit, atque evaneſcit; noſtrum verò Guadalupanum poſt tot ſæcula jam elapſa, quibus Sol Apocalipticus in Patmos Inſula viſus eſt, planèque ab oculis diſparuit,

(1) *Apoc. 12. ℣. 1 & in capite ejus corona ſtellar. duodecim.*

(2) Plinius lib. 2. Nat. hiſt. c. 31 *Trinos Soles antiqui ſæpius videre* Petrus Gaſſend in Meteorol. Epicuri, ubi de parh tom 1 p 586. *Porro teſtatur Plin. ñ plureis ſimul ad ſuũ ævũ viſos Soleis quã treis; verum poſtremis tẽporibus obſervati ſunt lõgè plures. Nam ut prætereã memorari viſos ſex in Polonia Anno MDXXV. obſerv. Scheinerus Romæ anno quidem MDCXXIX. quinque, inſequente verò ſeptem* (3) *Pſalm* 147. ℣. 20. *quibus verbis uſa eſt Eccleſia in Officio, & Miſſa proprijs Virginis Guadalupanæ.* (4) Cœlius Rhodigin. Lection. Antiq. lib. 24. cap. 14. *Hyemem verò liquidò præſagiunt.*

ruit, integrum adhuc, vegetumque poſt viginti ſex ſuprá ducentos annos in humili ricino fortunatiſſimi Indigenæ impreſſum perſeverat, manſurumque in ævum ultrò confidimus, ac multâ nobiſmetipſis fiduciâ pollicemur.

Felices nos, qui iſtius parhelij eximiâ pulchritudine læti perfruimur, dulciſſimoque conſpectu millies, ac millies delectari poſſumus. Felix etiam Author noſter, qui tot orationis lumina, tot amænitatum flores eò contulit ſapientèr, atque utilitèr, undè nec flores, nec lumina orationi ſuæ deeſſe poterant. Quibus ſat, ſuperque dictum exiſtimo, Orationem iſtam, cum & commendet Virginis gloriam, & de cætero, nec bonis moribus, nec Regijs juribus quidquam detrahat, digniſſimam profectò eſſe; quæ prælo, ac luci publicæ committatur. Sic ſentio, ſalvo meliori. Mexici XVII. Kalend. Octob. ann. MDCCLVII.

Dr. D. Cajetanus Antonius
de Torres.

APPROBATIO D. EMMANUELIS Garcia de Arellano, quondam Regalis S. Ildephonsi Collegij alumni, Mexicanensis Academiæ Conciliarij, pro eadem in Philosophia Magistri, & in Sacra Theologia Licentiati, Eloquentiæ Cathedræ Proprij Moderatoris, Mexicanæ S. Sebastiani Parochiæ animarum Custodis.

Domine Pro-Archiepiscope.

LUculentam de Guadalupano Parhelio, Dominationis vestræ Decreto latam ad me, Orationem, magna animi voluptate perlêgi: tum quòd lepôres, salesque illos, quos Quintiliani sensu viro gravi dignos existimo, conjectos plenâ manu in ipsam invenerim, tum quòd noverim Authorem acu tetigisse rem illam, quam olim Vincentius Tosca non satis àb eruditissimis etiam explicatam indoluit. Ut enim Author Guadalupanam Imaginem, delicias nostras, bono in lumine collocaret, Parhelijs, Solisvè imaginibus quasi novam lucem impertijt. Quod ita elegantèr præstitit, ut (me dius Fidius) non semel inter legendum Orationis vî animum senserim ferè ad invidiam usque permôtum. Si invidêre illi unquam possum, cujus ingenium miror, ad omnem planè artem elimatissimum, cujus adamo comitatem, cujus eloquium, quantum virum decet, dulcissi-

Quintil. lib. 6. cap. 3.

Phil t. 4 tr. 7. c. 11. pr. 37.

cissimum jamdiu magno in pretio habui. Neque unus ego. Habent cordati omnes, quorum nemo est quin colat, quin demirêtur. Hinc factum ut cùm ipse in Academiæ nostræ aula pro Mariano Parhelio perorâret, omnes ex omni ordine viri, quos Sapientiæ amor allit, atque eloquentiæ venustas allicit, avidissimè confluxerint, dicentemque ipsum plausu, ac gratulationibus prosequuti fuerint. Herclè, denuo mirati in Medico homine eloquentiam, unàque Physicæ, Matheseos, Historiæ, Sacrorumque notitiam, ex ijs quasi varijs coloribus effictam Iridem Parhelio venustissimè immersam celebraverunt. Quid interea ego? Plaudentibus plaudere: eò maximè quòd cùm sæpius, quantum fortuna dedit, ex Authoris sermone perfundi voluptate delicium fuerit, antiquius nihil in me est, quàm de ipsius laude, & commendatione lætari.

Nunc verò maximè lætor, quòd veram, & quasi natam Authori commendationem ex Orationis ipsius materia venâtus sim. Superi me perduint, nisi in viro isto Apollinis, qui & ipse Sol Sapientum opinione est, Parhelia mihi apparent clarissima. Ecquid enim in Apolline, quo ille careat. Medicus Apollo: & ipse est. Eloquens Apollo, propterea Ismenius: & noster eloquens. Apollo Poëta: Poëta iste. Musis, quod plus est, Præses datus Apollo. Hic etiam Musarum Præses Academiæ nostræ sententià factus, dum in publico olim certamine Judex visus est assidêre. Imò ubicumque ille assidet verba facturus, videntur Musæ omnes accumbere. Quòd si Gassendum sua non fallit opinio, nempè, nisi in Halone, seù Corona Solis conspici Parhelia non posse; in nullo aptiùs Apollinei apparere possunt Parhelij, quàm in Authore isto, qui ob suam in arte Medica singula-

Cœl. Rhod l. 16 cap. 19.

Plura de his Cœl. lib. 7. c. 1. & 28. cap. 11.

Gas sec. 1. memb. 1. lib. 2 cap 6.

gularem præſtantiam ipſius Corona Apollinis nuncupandus eſt. Quam meam ſententiam non ægrè ſibi in animos induxiſſent duo illi Medicinæ peritiſſimi viri, quorum alter Italus, Gallus alter, â quibus exteris etiam Noſter eximias laudes nactus eſt. Ij enim ipſum cum magnis viris conferendum putarunt in his etiam, quæ Itali ferè omnes, & Galli Hiſpanorum, atque Americanorum, aut ingenia, aut ſtudia putant prætervolare. Nihil enim noverant præterire Medicum iſtum, quem ſciebant poſt adeptam etiam eam famam, quâ, vel in ætatis flore præ ſenioribus multis ad honores, ad Cathedraſque vocatus fuerat, minimè in utramque dormire: imo ſomno multas, libris devovendas, horas ſubripere. Quam & cum Appolline, Soleque nil quieſcente hîc appingo ſimilitudinem. Hæc cum ita ſint, ecquod ab ipſo expectandum opus, niſi abſolutiſſimum, ut Oratio iſta eſt, in qua cùm â labe erroris omnia ſunt diſſita, tum â fide ne latum unguem. Digna propterea luce, quia Sole digna. Ita ſentio ad Sancti Sebaſtiani, decimo quarto Kalend. Octobr. Ann. MDCCLVII.

D. D Joannes Nicodem. & Joſ. Dumont.

Dr. D. Emmanuel Garcia de Arellano.

**

De Licentia Superioris Gubernationis.

EXCmus. D. D. AUGUSTINUS DE AHUMADA, ET VILLALON, Marchio de las Amarillas, Gentilitius Camerarius cum ingreſſu Regiæ Majeſtatis, Reginæ Commendator in Ordine Equeſtri Sancti Jacobi, Regalium Exercitium ſub Generalis, Pedeſtrium Hiſpanorum Militum Pro-Colonellus, pro re Civili, & Acie Militari Barcinnonæ, & totius ſuæ Ditionis Gubernator, Cataloniæ ad tempus Generalis Præfectus, hujus Novæ-Hiſpaniæ Pro-Rex, Gubernator, Dux Generalis, Senatus Regij, & Cancellariæ Præſes Digniſſimus, &c. veniam conceſſit pro hujus *Diſſertationis Editione*, attenta Approbatione D. D. CAJETANI ANTONIJ DE TORRES, olim Regalis, & Antiquioris S. Ildefonſi Collegij viridi inſigniti, in Regia, ac Pontificia Mexicana Academia Veſpertinæ Theologiæ Cathedræ Moderatoris, Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Præbendati, &c. ut patet ſuo Reſcripto, dato die XV. Septembris, Ani MDCCLVII.

Signo Exç^{mi}. Domini munito.

De Licentia Curiæ Eccleſiaſticæ Ordinariæ.

PERILLUSTRIS D. D. D. FRANCISCUS XAVERIUS GOMEZ DE CERVANTES, Primariæ Sacrorum Canonum Exhedræ Jubilatus Moderator in Regia, ac Pontificia Mexicana Univerſitate, Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicatu potitus, Synodalis Examinator, Curiæ Eccleſiaſticæ Judex Egregius, Archiepiſcopatus Vicarius Generalis, Præfatæ Academiæ Vice-Cancellarius, &c. ſuam veniam apperuit pro iſtius *Diſſertationis Editione*, habita ratione Approbationis D. D. EMMANUELIS GARCIA DE ARELLANO, quondam Regalis S. Ildephonſi Collegij Alumni, Mexicanenſis Academiæ Conciliarij, pro eadem in Philoſophia Magiſtri, & in Sacra Theologia Licentiati, &c. ut patet ſuo Reſcripto, dato XX. die Septembris, Anni Domini MDCCLVII.

Signo ſuæ Dominationis munito.

BACCALAUREUS D. IGNATIUS
â Segura, mille titulis tibi devinctiſſimus in gratitudinis ſignum,
hoc dicat:

EPYGRAMMA.

VIderat in Cœlo ſignum muliebre Joannes,
Cujus Parhelion Mexici in Urbe nitet.
Ut tamen ambo micent, luces, conſalve, ſupremas
Acceptas refert Mexicus ipſa tibi.
Nam licèt & Cœli, & terræ miracula ſumma;
Efficis ingenio majus utrumque tuo.

EN ALABANZA DEL AUTHOR
ſu muy fiel, y afecto Amigo el Dr. D. Andres de Alcozer.

A quò Parhelio veniunt tam mira colorum?
Divo cryſtallus lumine mentis alit.

NUBE ligera, que â eſcalar ſe atreve
La eſphera, y afrontada al Sol ſe explica,
En globos de cryſtal, que multiplica,
Los rayos juega, que encarcela en nieve:
Aquel oro ſubtil, que en gyros mueve
De los diafanos exes de luz rica,
A los ojos humanos ſignifica
Con el matiz del vaſo en que lo bebe.
O ſingular Parhelio el que hoy admiro
En el raro Meteoro de tu Idèa!
Pues los varios colores, que en èl miro,
Caracter ſon en donde el paſmo lea
Aquella luz ſublime, cuyo gyro
El vivo es del matiz, que la hermoſea.

DIS-

DISSERTISSIMUM ADMIRANS OPUS, quod mirati sunt universi, gratulant Authori D. FRANCISCO GONZALEZ, Apollineæ Facultatis Doctori, Anatomicæ Exhedræ Archario, tanquam sibi mille titulis colendissimo, salutat eum, uti Didascalum suum, D. JOSEPHUS THOMAS A VALLE, Medicinæ Infula redimitus, ut verus Gonzalezi-Philos, in amoris, gratitudinisvè Theseram hoc adpangebat:

ENCOMIASTICUM CARMEN.

ILLE ego, qui quondam tua promptus jussa colebam,
Nunc agens Plausorem sydera tangere eo.
Me namque alatum magno jam nomine nosco,
Ex quo Discipuli nomen omenque gero.
Te quondam Phœbum magnum Medicina fatetur,
Dissertum credit jam quoque Mercurium;
Nam GUADALUPEA cantans, concessus in umbra,
Efficis ut ros, flos pullulet ore tuo.
Ac alternatim concendant Astra Deorum
Tot radiant Stellæ, quot tua verba sonant.
Quid mirum! Radient Stellæ si Sole corusco
Accipiunt lucem, lucido ab ore tuo.
Virgine en in sacra lucet Titaneus ardor,
Nube velut clara Solis Imago Dei
Purpureo sacrum splendens diademate corpus
Divinus Titan, quam geminatus eat,
Haud alitèr rutilat de te jucundus Apollo,
Dum Solem geminum jam Medicina videt.
Vincis enim Phœbum, cum noctis in umbra,
Ejaculans radios, nocte dieque micas.

HA

HAVIENDOSE APROVECHADO DE LA Idèa de esta excelente Obra [para desempeñar diverso assumpto] el P. Pred^{r}. Fr. MANUEL JOSEPH FERNANDEZ, Augustiniano, produxo en alabanza de ella, y de su eloquente Author, este Castellano.

EPYGRAMMA.

BIEN puedes (ô GONZALEZ) remontarte
Hasta el Ethereo concavo del Cielo,
Que de Aguila caudal tu ingenio el vuelo,
Con tu docto Parhelio supo darte:
Vuela pues hasta que por sublimarte
Llegues â estàr en tanto *Paralelo*,
Que haziendo *refraccion*, sirvas modelo,
Tù, tu sabio *Meteoro*, tu bella Arte.
Solo Tù de tì mismo la enseñanza
Me puedes producir, como tan diestro,
Que otro, que Tù, por alta no la alcanza;
Muy poco, â lo que debo, â el fin demuestro
De tu heroyco blasón en la alabanza,
Mas *Discipulo* soy, si, tu eres *Maestro*.

* * * *
* * *
* *
*

Aut

Aut place, aut tace.

DIU MECUM REPUTANS CORAM magnifico veſtrum conſpectu, quam diſſerendi gratam ſuſcepturus materiam inter tot ſtagyritæ volumina, qua, ſi non placidam, lepidam, & curioſam, tedioſam minùs conſarcinarem prelectiunculam, multoties hæſi, quò me tandem verterem neſcius, ſuſpenſus velut Marſia, & ut Marpeſia cautes impenſè cogitabundus, unguens arrodens, illius diverbij memor Ariſtotelici: *Aut place, aut tace.* Quo magis de materiæ opportunitate, in ancipiti, & dubia trutina, vago, & inconſtanti ambigebam conatu; eò minus de tutelari mecum diſceptabam patrocinio exoptando, in quod propenſus animus, ſuoptè ſpontè, proprio nutu, velut magneticis alliciebatur impulſibus.

Præter patritiam enim propendentiam enclyticam; qua omnes hujus Orbis, & Urbis oriundi, & incolæ, erga Almæ Deigenitricis tenemur Guadalupanæ culmen, lumen, & numen, plurimæ, pluſquam congruæ rationes, me efficacitèr impulere, ut ſub tanti tegminis umbra, atque tutela, ad ipſius, quo potis fuerim ritu, cordicitus dicenda laudamina, ſine proponendi textus jactura, tergiverſatione, reticentia, aut ſenſus extorſione, oratiunculæ, inanis licèt, & inconditæ axis, carbo, verteretur, & ordo.

Inſita omnium viventium, ſed animam præſertim cogitatricem ergaſtulo corporeo gerentium, propenſio, ac velut inviolabilis lex, ut filij parentum, ſervi dominorum, alumni fo-

ventium, afferant caufam, cives Patriam extollant, & quicumque beneficia grata acceperunt juftas ubique fuis benefactoribus grates, occafione data, rependant: quandoquidem ergò, & humano generi Mater â primævo deftinata conceptu, & jure poft hæreditario folemnitèr defignata, noftratibus oris benigniffima apparens, noftris parentibus nobis propitior eft, queifcumque dominis: imò & dominationibus præftantior, noftris fautoribus beneficentior, decet omninò, & nos quæcumque, pro exilitate, ac tenuitate noftra, in medium opera producamus, velut exiguum munufculum, Regiæ facrum benignitati, in obfequij memoriam, & obfervantis animi fignum reverentèr offerre.

Flagrantiffimus vifceralis amor, quo ftrenuus meus Mecœnas, mille titulis percolendus, erga facram fertur iconem huic rei fymbolum contulit egregium, ftimulos addidit, vires auxit, confirmavit, evexit: qua propter cum tanti moliminis appofitam tantummodo exquirerem materiam, minimè intra telluris inveniendam gazophilatia, oculis errantibus alto exegi Cœlo lucem, qua quidem exultarem adepta: En in meteorologicorum peripatetica volumina, lumina, limina, elucubrando, evolvendo, rimando, bonis avibus incido, in quorum lib. 3. cap. 5. littera B. de phænomeno â me pro more, & munere exponendo, hæc aurea verba profert Ariftoteles: *Parhelion autem quum maximè æqualis fuerit aër, & fpiffus formatur; æqualitas enim fpeculi facit unum imaginis colorem.*

Ut autem in propofiti textus ardua, ac perdificili explanatione optatas tandem poffim attingere metas. Tanti numinis munimine fretus confcendens in commentationis arenam, mirificè explicare percipio Philofophorum Principem phafma illud, de quo loquitur, egregium, per fimilitudinem ad icunculam cujufque rei ex adverfo pofitæ ante vitrum hydrargiratum: namque quodcumque corpus lumine perfufum, dum fua prȩfentia ad fuperficiem appellit fpecularem, terfam, & perpolitam luminis refilientia dilucidè reflectens confpicitur.

Undè pro formatione parhelij id ex parte expetitur

aëris,

aëris, ut nimirùm æqualis ſit, unàque ſpiſſus, ſivè denſus: æqualitas enim ſine denſitate radios ſtriatim trajicere permitteret, neque ipſos reflecteret; lævor verò cum ſpiſſitudine quadantenus obſcurante conjunctus lumina reſilire cogit, ut velut ſpeculum, afabrè ſtructum, uniformem imaginis cum objecto exhibeat colorem.

Data brevi ſynopſi venia ſit conjecturæ imaginariæ aëris, aquæ, atque loci conditiones quadantenus comparandi: Signum magnum, quod apparuit in Cœlo: *Mulier amicta Sole: Luna ſub pedibus ejus: in capite Corona Stellarum duodecim*, ut Apocalypſeos refertur 12. Fulgentiſſimum illud phænomenon, ab Archetipo divinæ erutum mentis, noſtræ coruſcantis Auroræ Prototipum referens, fælici auſpicio, altæ contemplationis lumine viſum, delineatum, atque glorioſo ſcriptum calamiſtro, in Inſula Patmos, mare intra icarium, terram inter & aquam, aura humecta, aëre æquabili, denſo, & nebuloſo, ut oris eſt ſolenne maritimis: pulcrum verò in noſtra Patria ſimulacrum, aëre paludoſo, & undabili:

Frigida quum flebat hyems, cum ſolis lumina nobis
Clauſa December habet, nubes, vel ſæpè recondunt.

Quibus attentis quis inficiabitur æqualitatem aëris cum aëre, limphæ cum aquis, ſitus cum loco fore manifeſtiſſimam.

Primùm illud mirificum luminis æterni portentum, quod tranſeuntèr, ac progredientèr Aquilina extatica acie eſſet heliotropicè perſpiciendum, commonſtratum, revelatum, apertum homini impenſè litterato, magnificè perdocto, perbellè inſtructo, de rebus divinis calamo præeminenti, velut ſyllabicis penicillis teſtimonium præbenti: Icon verò cœleſtis, delineato ſigno reſpondens, homini amuſſo, rudi, & analphabeto, cum apparuiſſet conſpicua, conſtans, adamuſſim depicta, ſolido, & tangibili ſtramineo paludamento, ipſa ſui interpres, tantique myſterij magiſtra heliographicè impreſſa, & vividis expreſſa pigmentis, ſtabilis, indelenda, & firmitèr affixa permanſit.

Quò

Quò autem dicta, & dicenda faciliùs trutinentur, ê re fore arbitror regularis parhelij, & naturam, & fiendi modum brevi, ſed paraphraſticè enucleare: Etymon ab helio deſumitur, quod idem ſonat Graijs, ac Latijs Sol: undè nomen paritatem Solis declarat; nihil ergò aliud eſt parhelion, quàm par jubari Sol, Sol apparens, alter Sol juxta genuinum Solem, geminatus jubar, aut reflexa in aëre, ut in ſpeculo Solis imago: multoties non unicum, ſed plura ſæpè conſpiciuntur parhelia, quæ ſi juxta Lunam appareant, aliam repræſentantia Lunam, non tàm propriè parhelia, quàm paraſelena denominantur; Sol autem iteratus, ſivè legitimum parhelion talitèr, ut plurimùm, viſitur: toto nobis aſpectabili hæmiſphærio uniformi, ac tenui nube obvelato, Sol inter dilutos ſplendores fulgens, ingenti corona, ſivè halone circundatus, intuentis oculis exhibetur, juxta dictum coronarium halonem altera ducitur albeſcentis circuli periphæria, quæ non niſi jubare altiùs ſupra horizontem elevato poterit adſpectari: in interſectionibus autem utriuſque circuli ſplendens Solis adſpiſcitur imago, interim oppoſitæ ad jubarem ſphæræ partes, iridis arcuatim diſpoſita repræſentant pigmenta.

Qua forma, & norma, qua phaſi, & facie obſervari teſtantur Renatus Deſcartes, P. Gaſendus, Honoratus Fabri, honorandus Toſca, & alij complures: patet hinc parhelion ex radijs reflexis inter refractos formari: nam & corona, & ipſi appendiculus circulus, ex reflexione fiunt radiorum ſolarium; concurrunt ergò, ut plurimùm ſaltem, ſi non neceſſe, pro hujus phaſmatis compagine, & corona, & circulus ipſa major, & iridis colores, & reflexa Solis imago, in quarum rerum ultima conſtitutiva ſiſtit notio parhelij. Ordo ergò dicendi poſtulat, & jure exigit, coronæ, ſivè halonis reddere deſcriptiunculam: Circulus, nempè, lucidus, ſæpè ſubalbicans circa Solem, aut Lunam conſpicuus, quod quidem phaſma minutiſſimis lymphæ roridæ guttulis, nubem tenuem compaginantibus, eformatur, in quibus ille nitidus color exoritur per duas refractiones abſque ulla reflexione, ut ad oculum quidem demonſtrat

P. Vincentius Tosca in suo compendio mathematico. Similis halon conspectus fuit heic Mexici die 21. & etiam ultima Aprilis currentis anni, circa meridiem.

Oh! Quam lucida, atque mirifica fuerit illa corona, iriformis, & variegata, quæ virginea lumina commostrabat fulgida circundata varietate. Oh! Perpulcrum, atque gemmatum gloriosæ imperatricis diadema, quod non tantùm junonica pigmenta, nedum flagrantes Apollinis radij, sed ipsæ stellæ in ordine compaginarunt manentes. Alloquentem sibi Reginam Joanhes enuntiabat Antistiti iride circundatam iri; & quamvis, sphæroidis figuræ ratione, halonem potius diceret, si meteorologiam novisset: attenta varietate colorum, sub anomala iridis singularis idæa sat veracitèr dixit. Alma nusquam natura placidiùs ridere, atque jucundiùs sibi complacere videtur, quàm dum inter imbrium lacrymas pluricolorem iridem decircinnat; sic Junonis arcum lepidè nuncupabat Ovidius: *Risum plorantis Olympi.*

Iridem in rorante nube depingi communior, est philosophantum consensus: nubes rorida ex innumeris guttis coalescit, singulæ autem guttulæ diaphanum globulum constituunt; cum autem graves sint, & limphæ particulis, mutuo juxta se positis, constent, fluidi lege labi, dilabi, relabi, & proprio pondere deorsum ferri est necesse: cum interim, ab aëreo vortice, vago agitentur impetu, in perenni motu versantur: fit ergò istud phænomenon perpulcrum, ex inordinatis reflexionibus, & refractionibus in regione jubari opposita, eò respectivo situ ita proportionato, ut Sol, centrum roridæ nubis, & oculus intuentis in eadem ferè linea colocentur, sensibili; nam axis iridis linea est directè ducta á centro nubis ad Solis, usque superficiem: cum enim guttæ á Sole illuminatæ rotundæ sint, atque diaphanæ, in quacumque superficieculæ parte advenientes radios excipiant ipsos remittunt, seù infringendo, seù reflectendo, secundùm varios reflexionis, ac refractionis gradus, variegatos, neque constantes exhibent colores, qui emphatici à Philosophorum cætu denominantur.

Pro cujus rei clariori intelligentia varias inter utensilia, atque facilia experiri licebit analogias: aqua enim ore presso diflata, in rarum rore diducta, per aëra dispersa, ut fieri assolet à fullonibus, dum pannos rorida, ac tenui madefaciunt aspergine, variegatim se exhibet colorata: bullulæ saponaceæ, calamo inflatæ, quas ludibundi púeri eutropeliæ placentissimæ gratia, in satis amplas exsuflatione ampullas producunt, speciosis intermixtis exornantur coloribus: artificiales fontes salientes, quorum impetu prosilientèr, atque rorantèr erumpit aqua, pennata, & circinnata pigmenta, medijs radijs, oculis offerunt, & plura istis similia, quæ iridem in guttis, à jubare lustratis, delineari, manifestè convincunt.

Præcipui, qui in iride observantur colores, sunt puniceus, croceus, aut rubeus, qui in extima, & convexa ejus superficie adspectantur; indè flavus, aureus, sivè arantius: subindè viridis, sivè smaragdinus; ultimo violaceus, cyaneus, cæruleus, lazulinus, sivè saphyrinus, qui in concava, & excavata superficie conspicitur, ex quorum mutua intermixtione, terminatione, transitu, trasmutatione, combinatione, disgregatione, majori, aut minori guttularum aggerie, facularum Solis vividitate, cursus progressu, vario athmosphæræ statu, unà cum versatili effluviorum concursu, adhuc plurimi alij, fugaces licèt, suboriuntur colores; præfata autem pigmenta maximè in iride observantur primaria: in secundaria verò, quæ & remotior, & altior assolet apparere, dilutiora sunt, & inversa: sic in prysmate vitreo, variè oculis admoto: secundùm varias angulorum incidentias, flexuras, refractiones, & reflexiones, convergentias, & divergentias istud meteoron proprissimè emulatur, & mille trahit varios adverso Sole colores.

Transeuntem saltem pluviam indicat iris, dum jubaris penicillis afabrè, & curiosè depingitur: sic cecinit Poëta:

Emicuit reserata dies, Cœlumque resolvit
Arcus, & in altos abierunt nubila montes.

Nun-

Nuntiat quoque, ex divino decreto, nusquam iterum mundum generali ruiturum cataclysmo, ipso dicente Domino ad Noemum geneseos 9. *Arcum meum ponam in nubibus Cœli, ut sit signum fœderis inter me, & terram, & cum nubibus obduxero Cœlum apparebit arcus meus, & memorabor fœderis mei, quod pepigi vobiscum, & cum omni anima vivente, & non erunt ultro aquæ diluvij ad delendam universam carnem.*

Divina eformatum ope fuisse iridem illam, in cujus area apparuit Sacratissima Imago Guadalupana, nemo usque inficias ibit, cujus decircinnata pigmenta, non tàm ê Phœbeis radijs, quàm ex ore Altissimi prodivere.

Quod quidem spectabile signum prænuntiatum contemplor Ecclesiastici, cap. 49. ubi dicitur: *Vide arcum, & benedic ei, qui fecit illum, speciosus est nimis in decóre suo, gyrans Cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt illum.* Commodioris autem expeditionis, ergò, ut omnis vitetur amphybologiæ paralogismus, neque anceps relinquatur alta mente repostum judicium, meteora cum Philosophis dividere licèt in Physica, & hyperphysica: Physica, quæ naturæ ordine veniunt; hyperphysica, vel supra, vel extra ipsius naturæ metas, quo pacto in miraculosa, atque præstigiatoria rursum subdividuntur.

Naturalia inter, & miraculosa sæpè aliqualis animadvertitur similitudo; nam Author mundi cosmicus, etiam in supræmis, ordinem à se creatæ conservare solet naturæ; sic columna illa ignita, quæ viatores noctu illuminabat Israëliticos; nubis illa, quæ perdiu ipsos tegebat, naturalibus nubibus, & ignis fatui naturali pyramidi, minimè erant absimiles. Naturales equidem ignes fatuos, huc illuc vagantes, Gasparus Theophylus Bierlingius affert, qui viatores modò antecedunt, modò sequuntur, accedentes fugiunt, insequuntur fugientes.

Sic Fromondus meteororum, lib. 2. Similes fatuas faces, ternario numero, quendam insecutas fuisse viatorem toto itinere, peragrantem ê Viseto in Haccuriam, commemorat: flammam

mam volantem â Montanario obſervatam, explicuit, & theſibus mathematicis illuſtravit Dominicus Guglielmini in Epytropeja. Heic Mexici duæ flammulæ volaticæ nuper conſpectæ fuere, quarum ſecunda, die veneris Sancto currentis anni, inter nonam, & decimam horam nocturnam, ſtatim, ac noſtram aream illuminavit, in plures globulos ſubdiviſa, momento evanuit.

Meteora in ſolidis lucida, in terrenis ætheria, paſſim conſpici poſſe, vel ipſe arcus manifeſtat cœleſtis; dum enim ille nitido ſuo lumine flagrat, atque coruſcat, nemora, ſylvas, arbores, muros, turres, & pavimenta, arcuatis quoque, dilutioribus licèt, tingit pigmentis; ipſe dum micat: *Purpureoque rubens ſurgit jubar aureus oſtro*, arenas aureas, flaveſcentes montes, rupes rubentes, oculis intuentibus exhibet; combuſta Luna argentatam terram reddit conſpectui. Mentzellius decade 2. miſcellaneorum N. C. anno 6. obſervatione 134. mentionem facit iridis menſe Septembris, hora octava matutina, in prato quodam rore madido conſpectæ, cujus figura erat hyperbolica, & apex hominis ſtaturam tres circitèr pedes excedebat, cujus occaſione celeber Mathematicus Jacobus Bernoulli, regulis opticis, dyoptricis, catoptricis innixus adſeveravit, ſecundùm varios gradus altitudinis Solis illuminantis nebulam roridam ſupra terræ planitiem iridem eformari de facili poſſe, cujuſcumque tandem figuræ; hyperbolicam, verbi cauſa, parabolicam, ellypticam, circularem.

Extera quid quærimus ultra? Jove ſunt omnia plena. In ſingulorum hominum oculis toto die, dum luminis radios excipiunt, iridem, halonem, parhelion obſervare eſt in promptu: Circulus enim in cornea major, ſecundariam iridem repræſentat, minor, atque contractior, & hoc potitur nomine inter anatomico-phyſicos, & vividioribus, primariæ reſpondentibus, inſignitur pigmentis: ſphæroides uveæ figura halonem exactiſſimum exhibet; proceſſus ciliares, ſtriatim circunducti, circulum obducentem coronam; pupilla, in opaciori colocata loculamento objectorum icunculas, ſpeculi inſtar,

ex-

exprimens, & faciem ad ipſam intuentis pupulæ ſpecimine referens, exquiſitum apta eſt eformare parhelion.

Namque in dyaph ano corpore, ſubjecta opacitate objecti, delineari iconiſmu m, vel aqua jam dudum commonſtrabat clariſſima, & in Na rciſi fonte, & in æquore Polyphemi, ſic indecoram vultus de formitatem excuſabat Monoculus.

Non ſum adeo infor mis, nuper me in litore vidi,
Et certè valdè placuit mihi mea forma videnti.

Sic ſe ipſum videns, ſimul atque deperiens, venuſtus Juvenis introducitur quærulus.

Quod habeo id cupio, quod cupio id habeo viciſſim;
Careo quo potior, inopem me copia fecit.

Quiſque in ſtagnis videt, & omnibus amnibus, totum hæmiſphærium introſpici, ſed & in corpore aëreo, majoris multò tranſparentiæ participe, ſimilis nonnunquam pateſcit ſpecularis reflexio.

Sic ipſe Princeps ſtagirita, laudato meteorologicorum, lib. 3. poſteritati tradidit, cuidam obtuſa acie videnti frequentèr contigiſſe, ut dum ambularet ſui ſimulacrum, adverſa fronte ſe præcedere cerneret; & quamvis viri nomen heic loci Ariſtoteles prodere ſuperſedeat Alexander Aphrodiſæus, & Olympiodorus, Antipheronta Oreitem fuiſſe conjectantur, quod nomen ipſam affectionem denuntiat.

Similis eventus rationem Ariſtoteles redditurus, lineis ita ſcribit ſequentibus: *Hoc autem illi contingebat, quoniam viſio in ipſum reflectebatur, nam præ languore adeò imbecilla, tenuiſque modis omnibus erat, ut & propinquus aër ſpeculi vicem illi, perindè, ut qui remotus, denſuſque eſſet, præſtaret, & ab ipſo pervinci nequiret.*

Seneca lib. 1. naturalium quæſtionum, Ariſtotelicam iſtam declarationem amplexans, ita inquit: *Ab omni lævita-*

te acies radios suos replicat; nihil autem lævius aqua, & aëre: ergo etiam ab aëre spisso visus noster in nos reddit; ubi verò hebes, & infirma est acies quolibet aëris ictu deficit; quidam hoc genere valetudinis laborant, ut ipsi sibi videantur occurrere, vel ubique imaginem suam cernant; longè autem magis visum nostrum nobis remittit aër, qui crassior est, & pervinci non potest, sed radios luminis moratur, & eò undè exierunt reflectit

Albertus quoque censet effigies corporum naturæ vi effingi posse in aëre humecto, quod confirmat Vitellio, lib. 10. thesi 61. adducto exemplo cujusdam sibi familiaris, qui cum quadam nocte, post multas præcedentium vigilias palludi adequitaret vidit in aëre illo vaporulento equitem, qui cum ipso, tanquam ad nutum compositus, ambularet, aut sisteret, evanuit autem statim, ac in aërem venit puriorem. Sic Cardanus, lib. 18. de subtilitate in Islandia Insula ultrà Britannos, & juxta Norwegiam, & alicubi, similia spectra viatores, atque Colonos ludificare tradit, refertque ad spiritus hebetudinem, & aëris spissitatem.

Sed naturalibus, & inferioribus, pro nunc in medio relictis meteorologicis impressionibus, perpulcrum, & miraculis plenum, nostro in solo apparentem, veluti per partes considerativa distributione divisum adeamus iconismum, prout in pallio stramineo pitensi, nunc usque nostra faustissima sorte conspicitur, ad vivum mulierem exprimens Apocalypticam, sole indutam; quod indumenti genus radijs duodecim supra centum delineatum accuratè intuenti decernitur, quo numero candor puritatis ostenditur; psalmus enim 112. laudamina Domini ex candore, & ore púerorum expetit, & commendat, sic præ omnibus speciosa facies conspicua, cujus intuitu florent pallida Pallas, evanida Venus, jejuna Juno, vix primulam refert adolescentiam.

Quadraginta sex stellaria signa effigiem in pallio exornant cœlesti, qui numerus ædificationem mystici significat templi; quadragessimus quidem dies terminus est omnis puri-

rificationis, ut perlegere eſt in lævitico, & omnia geneſeos producta ſex dierum opere fuere conſumata: undè illæ ſtellulæ denotant, noſtrum Americanum Regnum, ſub tegmine illius pallij cærulei, ab omni idolatriæ nævo, ab omni dæmonis obſeſſione quadrageſſimo facularum numero repurgatum, & ſexalijs numeris, totidem aſteriſcis clarè ſignatis, mirabilitèr reformatum; ſyderum autem caracteriſticis ſignaturis dies exprimi poſſe, vel ipſa aſtralis docet natura, ſtellæ quidem totidem Soles ſunt, apud peritiores Aſtronomos; nulla lumina ab jubare mutuantes; & quamvis frequentèr nox ſtellaribus ſtigmatis denotetur, nil noſtræ detrahit ſignificationi, namque in primo geneſeos limine legitur: *Factus eſt die, & nocte dies unus*; & ſic de cæteris.

Anticus amictus partim albus, partim adſpectatur purpureus, ut una cum immaculato candore amor erga nos flagrans conſpiceretur, neque talitèr fecit omni nationi: flagrantem nitorem, præter amoris igneſcentem flammam, ſummam majeſtatem oſtendere, Palam facit purpura Regia, & jam dudum monſtrabat ſacrum illud, admiratione plenum, effatum, plenariam Verbi poteſtatem enuntians: *Quis eſt ille, qui venit de Edòn tinctis veſtibus de bozrà.*

Ideo caput fulgida, aurea, radiante oppertum corona, ut ſe exhibeat providam, atque benignam occidui hujus gubernatricem coronatam de vertice Amàna, fidem, & veritatem ſignificante, humanis minimè indigam corollis, dyademate cœlifero circumcinctam, quo & inter Garamanthas, & Indos proferat imperium. Eburneam collo turrim concedit aſpectandam, cui myſterioſè appenſa forma Sacrata Crucis venerando fulget amictu, ut columnam habeamus propugnaculi, illo ſtemmate notam: namque hoc ſigillo inſignia Regis vexilla prodeunt; fides enim hoc ſigno exultat, in hoc ſigno vincit, ſub iſto ſigno ſalutat.

Juxta artuum inferiorem regionem, ſupra effatum amictum, octavi numeri caracter vulgaris, atque clarus conſpicitur, octo, ni fallor, beatitudines viales deſignans, quarum

 ulti-

ultimo complemento cœleſtis Regni placida poſſeſſio promittitur. Signum, & aligerum cœli, cervice reflexa, ſuppeditat vultum, ſeù contemplatur adorans, vel Angelum deſignans hujus Civitatis cuſtodem, vel potius totius Regni Tutelarem, ſecundùm ipſius Deiparæ ſolatijs noſtrum, plena verba, Templum ſibi dicandum aſſiduum iſtius Orbis aſylum eſſe futurum.

Cui quoque Luna cothurnus pulcra ſubeſt pedibus, vel utique ancilla miniſtrat, ſeù potius paraſelenon falcatum, meſſoriam falcem ſua ſemicirculari excavata referens forma, ut tali falce, inter tot flagrantes gemmas, uberem queamus decerpere frugem; flores enim ejus fructus honoris, & honeſtatis: opimiferis equidem floribus, ære, & auro pretioſior, ſpargitur amictus, vel quia amore languens floribus fulcita ſtipatur, vel in memoriam ſacræ metamorphoſeos florum in penicillum. Si rem omnibus notam pauculis verbis repetam veſtram facile veniam concedatis exopto graviſſimi A. A. quoniam ê notioribus thæoremmata ducuntur luculentiora: bis contempto, & ne vix credito, humillimi legatoris nuntio, tertio in conſpectu Divæ Matris, ab ipſa expetit ſignum in veritatis teſtimonium portandum, quod idem olim Diſcipuli â Domino expoſcebant dicentes: *Magiſter volumus â te ſignum videre*; quod fidiſſimus flammantis gloriæ Pyrauſta, pro impenſè neceſſaria, & jam dudum imperata, efflagitabat atteſtatione, ſecundo quidem, & fælici eventu, namque ipſi juſſit miſericordiæ, atque pietatis Mater, fragrantes gemmas ê ſterili decerpere ſolo, vernantes flores ê gelida metere terra: anxius accurrit quærens, quos minimè inveniendos putabat faſciculos:

Frigida cedit hyems, gelidoque ex ſtipite germen
Pullulat, & cedunt jam ibi nata nothi,
Et flos de niveis, caniſque pratis obortus,
Effecit hyemem veris habere notas,

Sol

Sol venit, & fugit jam ſuo bruma calore;
Et fluunt de cano jam novæ gemmæ ſitu.

Cumque agminatim reperijſſet rore recenti madidos floſculos, magna penu manipulos adſportans, matutinæ reddit Auroræ, quos ſupra pallium craſſum ſtramineum, manibus eadem fulgentibus,ſtratiformitèr ordinatim componens,accuratè obvolutos, alijs antea minimè conſpiciendos, Præſuli feſtinantèr tradere jubet; advolat, properat, rapido pedè carpit iter, affert, effert, offert, & palliolo coram ſtrenuo Principe, unà cum ſuo Comitio evoluto, ac expanſo. Signum magnum apparuit in Solo,quod olim apparuerat in Cœlo: admirabundæ ecſtaſſeos fulmine tacti,obſtupuere omnes,intentique ora tenebant; namque inibi inclaruit: *Aurora conſurgens pulcra ut Luna, electa ut Sol, terribilis ut caſtrorum acies ordinata*; paululum indè poſt viribus recollectis, vitali, quæ moram nectebat, purpura ſucceſſim gliſcente,artubuſque,ſucco affluo, denuò reviviſcentibus, exhilarante gaudio perfuſſi, in genuflexionis, ac poſtrationis cultum fervidiſſimè adacti, ſe totos glorioſæ Imperatrici veracitèr devovent.

O jucunda dies alacri digniſſima plauſu!
O fæcunda dies albo deſignanda lapillo!

Tabulam picturæ requirunt, & laminæ aureæ, argenteæ, vel ſaltem electricæ loco, ſericeæ ſindonis, aut adſtrictioris carbaſi argilla, bolo, minio, ceruſa, gleba cretenſi, aut cinnabarina complanati rubrica, paludamentum illud pauperculum, ê craſſioribus maguejenſis paleæ filaminibus decuſſatim contextum, agrum floridum vernantium gemmarum, & campum optimum pigmentarium inveniunt, ut, vel cuique de trivio, decernere liceat, opus infinitis ſuperans paraſangis materiam non humani penicilli, ſed cœleſtis impreſſionis fore productum: lumina illa ſuperna, faces firmamenti facilè ſuperantia,

quæ

quæ in fulgidiſſimæ Iconis abiere colores, paludamento illi reticulari, ſplendenti vernice obducto, appellentia radioſa lineamenta affulſerunt, ut idæam referrent Prothotypi, non alitèr, ac ſpeculum objecti ex adverſo locati reflectit adamuſſim iconiſmum, in qua encheyreſi conſtitutiva ſiſtit, in textu Stagyritico expreſſa, notio Parhelij: undè ſit, vel ſpontè profluens Theorema: Sacratiſſima Almæ Deigenitricis Imago Guadalupana in Mexici ſuburbijs mirificè apparens, & mirabilius impreſſa rudi paludamento ſtramineo, noſtra beatiori ſorte in templo ſibi dicato indemnis, & immota perſiſtens Parhelion perfectiſſimum, & miraculis plenum exhibetur Solis Apocalyptici, ſivè Mariani ſigni in Inſula Patmos Aquilina extaticæ mentis acie Divo Joanhi conſpicui.

Forſan quis regerere audebit heic æquabilem lævorem ſpecularem, quem tantopere in Parhelio inculcat Philoſophus, manifeſtè deſiderari; reticularis quidem textura, præſertim lacera, ſquallida, arida, aſpera, ſcabra, & ſtrigoſa, nihil cum terſo, ac perpolito plano gerit ſimilitudinis: ut autem iſte complanetur ſcopulus, præter imparem naturalis cum miraculoſo effectu rationem, analogia, ex natura ipſa deprompta, totam rem ad oculum explicabo.

Opticam quicumque, vel ſummis labris, deguſtarit doctrinam illicò norit opticum penicillum, ex radijs coaleſcentem luminoſis per lineam rectam ductis, quantumvis intra pupillam aqueo liquamine refringatur ad perpendiculum, & in lente cryſtallina convergentiam affectet, quouſque tranato vitreo in centro oculi ordinatim aptetur pro idolo, & iconiſmo compingendo in rete amphybleſtroide, quod tunicam retinam appellant, objecti delineare iconiſmum, quamvis illa tunica reticularis contextus ſit minimè dyaphanus, ſed mucidus, & ſtamineus, extremitatibus chordæ lineæ, aut goſſipinæ, pro bellicis tormentis accendendis, aut ſtrophyoli, pro muniendis phialis, minimè abſimilis; nam licèt illius filaminea textura lævore nitido, ac plano perpolito ſua compagine careat, limpha tamen humecta, innanes adimplente poroſitates,

æqua-

æquabile planiſphærium conſtruitur, objecti lineamentis compingendis, imprimendis, & ſenſorio exprimendis idoneum: ſic floſculi Mariani recentiori madore perfuſi, aurore rore nitidi, albumineo cryſtallinum reti indico gluten obductim conciliarunt aſphalto, cobalto, ſmalto lævigatius, ac terſius.

Cyaneum pallio colorem, zaphyreum cœlum hilari obſequio exhibuit, & impreſſit; purpureum, ipſe cœlicus arcus purpura muricea venuſtus; candidum, in Cœlis oriens lumen indeficiens; ſtellas fulgentiſſimas; virginei ſigni gratiſſima conſtellatio; flores amictus, virga exurgens de radíce Jeſè; & flos de radíce ejus aſcendens; eorum immarceſcentiam, & polyncturam, faſciculus myrrhæ dilectus, commorans myſticè inter ubera; radios, juſtitiæ Sol, Mariani Parhelij Halon, Circulus, & Corona; Luna ipſi ſe exhibuit pro pavimento. En Parhelion omni poſſibili perfectione perfectius, peripatetico ſolari reflexivo conſpectui omnimodè reſpondens; aëre paludoſo in primis conſpicuum, indè laxo, & aëri pervio, reticulari plexu lineatum, ſpatioſa, & ſpecioſa circumcinctum Corona, iridis decoratum pigmentis, omnium tandem meteororum complacentium combinatione pulcra inſignitum, inſimul ſtellatum, radiatum, gemmatum, cunctis Cœli armonicis numeris abſolutum.

Quid enim aliud exhibet Parhelion, niſi Solis imaginem in æquabili ſpeculo? Audire in hanc rem libeat D. Thomam Opuſcul. 8. ita præfantem: *Convenientèr dicitur Maria illuminata in ſe, & illuminatrix in alios quantum ad totum mundum, ideò aſſimilatur Soli, & Lunæ*; quibus adjungere opportunum duco, quæ Ricardus à S. Laurentio, lib. 1. cap. 3. dedit ſcriptis: *MARIA tot habet in ſe luminaria, quot virtutes; ideò poſtquam dicta eſt pulcra ut Luna, dicitur electa ut Sol; quia ſicut Sol radijs ſuæ claritatis illuminat mundum, ſic ipſa ſuis virtutibus, & exemplis populum irradiat Chriſtianum*, ut dicitur Eccleſiaſtes 24. *Illuminabo omnes ſperantes in Domino.*

Cum autem fulgidiſſimi Mariani Solis adſpectabiliſſi-

ma

ma imago non ultramarinis pigmentis, non Romanis penicillis, non tyrio ostro, non Assiæ murice, non Afris conchilijs, non indicis tincturis, non Europæ ope, sed cœlesti pura, mera, & vera impressione nobis fuerit concessa, quo alio potiori ritu indesinentèr, continentèr, & firmitèr inibi perennetur, nisi facie ad faciem ipsam intueatur perpetim iconem, jubar supremi Empyrei, in quo universum luminum creatorum thesaurum summus Author cumulavit collectim; intuitiva quidem præsentia adspectabilis formæ ad fontem, ad speculum, ad nubem ex dyaphano opacam, ad planumvè corpus tersum, ac lœvigatum, promptè, & fidelitèr iconismum depingit.

Nusquam, amabo, à nostra discedat mente Mariani parhelij benesuada præsentia, si enim illius speciosi arcus decircinnati perennia continentèr lumina accipiat noster Doctoralis congressus, iris veluti secundaria, placidis facultatum variegata pigmentis, amplius in dies micans effulgebit, & amplius: sub hoc empyreo jubare candidiora erunt nobis sapientiæ lumina; scientiarum demonstrabiliores epycrises; artium regulæ directiores; disputationum illustriora certamina; Professorum clariora dogmata; regentum tutissima gubernacula.

Si aciem ad Guadalupanum jubar inconniventi palpebra dirigamus accensos vividiores quàm furtiva facula Promethei flamigeros lustrabimus radios, ut de nostrorum ignescentia oculorum aptius intelligenda veniat illa Platonis in Timæo sententia, hoc explicata more: *Ignis certè illius, qui non urit quidem, sed illuminando suavitèr diem invehit participes fecerunt oculorum Orbes Dij; intimum siquidem nostri corporis ignem, hujuscè ignis germanum, syncerumque, per oculos emanare voluerunt.*

Nostro arcuato, coronato, stellato Parhelio sine intermissione micante placida omnia nobis observabuntur meteora, conticebunt, aut effectu frustrabuntur adversa, namque ipsi obedient demissim, & adamussim. Fax, trabs, lumen hians volans, vaga sydera, Capræ saltantes, & Stella cadens, & lancea, & ignis lambens, & fatuus, draco, pyramis ignea, fratres

Tin-

Tindaridæ, & Helena, & tônitru cum fulgure fulmen. Occeanus euro zephyreo affluens, & effluens motu, secundo transfretatur eventu: Eoli vortice densantur opportuno tempore nubes, funduntur nebulæ, liquescunt pluviæ, moderatim nives concrescunt, ethesiæ nos hilaritèr recreant: ros nostros flosculos amœnioribus induit pigmentis; pruina, tardius accedens, fructus reddit durabiliores; aura serotina delasatas reficit vires, atque, dum tempus exigit, madidis nothus evolat alis.

Fontes Tepejacacensi solo soteriani persistunt euporista pauperculorum medella; nec mirum si inibi apparuit suavitatis scaturigo, Joanne Bernardino primitùs in se auram persentiente salutis; indè, aliquot annis elapsis, aëris epydemicam pluries retundebat malignitatem.

Nymbi confluentes, atque Cœli disruptæ cataractæ anno 1629. iridis Guadalupanæ primo adspectu exsuccæ, exsiccæ, absumptæ, dirutæ, terminatæ: *aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem.*

Vulcani ignivomi montes, conquiescunt; terræ sedantur motus enormes; subterranei fragóres nostra in urbe nusquam audiuntur; densati saxei grandines, eminus dejiciuntur; enephias impetu ruens suspenditur; Typhon gyros modificat; Præster subitaneus à suo boatu descicit; fulmina exulant.

Meteora præstigiosa avertuntur. Dracones igniti, serpentes pyroentici dente canino, & unguibus leoninis, nos arrodere, & dilaniare satagentes, quorum multis incursibus militia est vita hominis super terram, abeunt hoc scuto rejecti, quoniam mille clypei pendent ex armatura corporis sui: nihil absque isto jubare fulget, extinctæque jacent, & sine luce faces; *niveo stat ignis in ore purpureus*, & ejus oculi, *igne micantes syderibus similes.* Isto cœlifero signo nostrum hæmisphœrium regente, nobis impunè visuntur in cœlo Cometæ.

Egregium esset gyro concludere parvo,
Quod longo in campo grandis acervus esset.

O. S. C. S. M. E. C. A. R.